# IMMACULATE

# CANTICUM PSALMODICUM

GLORIOSISSIMÆ VIRGINI DEIPARÆ

# IMMACULATÆ

PRO

SUBMOTO VITÆ PERICULO

INOFFENSÆ MIRE SERVATÆ

Religiosissimi FERDINANDI II.

DOMINI NOSTRI

UTRIUSQUE SICILIÆ REGIS OPTIMI

SEXTO IDUS DECEMBRIS

SCRIPTORE REGIS SUI OBSERVANTISSIMO

**NICOLAO TROTTA**

SACRÆ THEOLOGIÆ DOCTORE

PROTONOTARIO APOSTOLICO ET VICARIO GENERALI

CAPUTAQUENSI ET VALLENSI





SALERNI

EXCUDEBAT RAPHAEL MIGLIACCIO

1857

Misericordiam et iudicium
cantabo tibi, Domine.
Psallam, et intelligam in via
immaculata, quando venies ad me.
Psal. 100.

# Universis Lucaniae accolis

*Quantopere laetandum sit nobis, fratres in Domino dilectissimi, quantaeque Deo, Deiparaeque Virgini, pro Regis nostri, patrisque amantissimi incolumitate referendae sint gratiae, nemo est, qui non videat. Si enim nullo non tempore pro salute Regis gaudendum, assiduaeque bonorum omnium largitori pro eius prosperitate, a qua publica pendet salus, fundendae sunt preces; nunc potissimum temporis singulari quadam animi laetitia extollendus est Deus, eiusque piissimae Genitrici grati animi sensu digna ab omnibus vota persolvenda sunt. Neminem vestrum sane latet, ipso Virgini festivo die, quo eius Immaculata Conceptio catholico orbi celebranda recurrit, in unius Regis salute omnium nostrum, pacatissimi huius regni, totiusque, pene dixerim, Europae, periclitatam fuisse salutem universam. Sicarii quip-*

*pe nefaria manu mitissimo Principi intentata nex nos omnes terrore perculsit, territosque adhuc animos perduellionis recordatione atrocissima nulla spes recrearet, nisi praesentissima Virgo inopinato quodam ac supra naturam modo a perduellis ictibus Principis vitam praeservasset. Immanis siquidem facinoris atrocitate tantae festivitatis non erat turbanda laetitia, ac devotissimi Principis pretiosissima vita in obsequium dicata Virginis, ac in totius Regni bonum coelestibus hactenus cumulata favoribus hostili violentâque manu recidenda non erat. Hinc singularissimo Virginis beneficio evidentissimoque miraculo factum est, ut communis omnium luctus in gaudium verteretur, metuque omni, quo ex immanitate facinoris angebamur, excusso, in spem novam subditorum animi erigerentur. Quare omnimoda, ut par est, devotione ac solemnitate preces publicae indicendae sunt, quibus Maiestati Divinae, Deiparaeque Virgini prae collati beneficii magnitudine omnium nostrum offerantur vota, debitaeque gratiae referantur. Ad id potissimum invicti huius dioeceseos Antistitis vos urget exemplum, suadetque auctoritas: quippe qui pietate in Deum, in Virginem devotione, ac animarum zelo insignis preces publice Deo fundendas, gratiarumque actiones ab omnibus uno veluti ore referendas Virgini, enixis viribus in praesenti discrimine commendare non desinit. Quotquot igitur antiquissimam illam Lucaniae partem incolitis, quae a Palinuri Veliaeque finibus Posidoniam usque substernitur, quamque interfluens Silarus a Campanis, Picentinisque seiungit, ea animi contentione, ac spiritus alacritate in agendis Deo Deiparaeque gratiis vires omnes conferatis necesse est, ut ceteris huius florentissimi regni populis, dissitisque provinciis anteire quo-*

*dammodo videamini. Vobis enim mira prorsus sorte obtigit, ut in altissimae illius rupis cacumine, quam prisci Gelbison vocavere, nunc sacrum a Virgine montem nuncupant, vetustissima divinae Genitricis Icon repperiretur, quae innumeris illustrata prodigiis exterorum illuc adventantium turmas raperet, Lucanosque praesertim coelestibus plane divitiis cumularet. At vos potissimum, qui sacerdotali dignitate ceteris omnibus antecellitis, oro quammaxime obtestorque, ut qua exemplo, qua voce, ita accolarum ubique animos alliciatis, ut haudquaquam ore tenus, sed ex intimo cordis sensu benignissimo Deo, eiusque dilectissimae Genitrici debitae effusaeque gratiae tribuantur. Ut autem haec omnia ex voto contingant, optimum plane erit, si triduanae preces supplicationesque ea animi puritate peragantur, ut conscientiae piaculis extersis, omnes, quoad eius fieri poterit, pro gratiarum actione etiam sacra synaxi reficiantur. Utinam singulorum vestrum regiones peragrare, omnesque alloqui et exhortari cominus possem! Verum id ἀδύνατον quum sit, pauca admodum ex scripturis Sacris, sanctorumve Patrum sententiis excerpta ac psalmodico exarata stilo comiter excipite. In iis, quae sint animi mei sensa, quaeque velim esse vestra, non modo erga gloriosissimam Dei Matrem, sed et erga Regem nostrum, miro illius servatum patrocinio, quisque vestrum procul dubio dignoscet. Pauca quidem et inconcinne pro re nata aestuantis animi deprompsit affectus; multa tamen ingentique propemodum excipienda volumine, si per tempus licuisset, singularis, qua erga Regem nostrum, communemque Patrem devincior, benevolentia ac amor dictitasset. Quod reliquum est, erga purissimam Dei Genitricem sit una omnium vox, eiusque misericordiae thro-*

*num precibus, lacrymis, suspiriis, exantlatisque animi viribus omnibus provocemus. Ipsa enim Mater pulchrae dilectionis, timoris, agnitionis et sanctae spei ab omnibus vocitatur: ipsa nostrae salutis anchora, thesauraria gratiarum, lugentium solamen, gloriatio coelitum, ac terrestrium requies opulenta: ipsa sacratissima et immaculatissima Dei Parens totius regni supremo moderatori, Regi nostro, patrique charissimo in extremo vitae periculo praesentissima adfuit, et ipsa piissima pro communi omnium laetitia et gratulatione ad ipsius regni felicitatem diu illum feliciterque sospitabit.*

*Datum ex Episcopali Curia Vallensi die decima Decembris anni 1856.*

# CANTICUM PSALMODICUM

## Gloriosissimae Virgini Mariae Immaculatae

## I.

Versa erat in luctum cithara nostra, et organum nostrum in vocem flentium.

Saevum audivimus territi scandalum in populis: impium manus misisse suas in christum Domini.

Erat adhuc gemitus in ore nostro, et ascendebat ululatus ex imo corde: flumen dabant lacrymarum oculi nostri.

Et luctus illico in gaudium conversus est: quia salvum novimus laetantes Regem iustum.

Magnalia Dei a saeculis super regnum hoc; et nunc exaltatum est nomen Deiparae, custodientis Regem.

Ecce salus optimi Principis de excelso est: Dei parens scapulis suis obumbravit illum.

Sumite nunc psalmum, populi regni hujus: ocyus date tympanum, psalterium iucundum cum cithara.

Tentata nece execranda adversus Regem, patriae Patrem: Virgo Immaculata praecinxit eum protectione sua.

Cantate Mariae in virtutibus eius: benedicite Filio secundum multitudinem misericordiae eius.

Quoniam salus Regis nostri in manu Deiparae: ipsa incolumem praeservavit ab ictu nefario.

Sacrilegus irruit miles, non miles in Regem suum: et militum circum cohors fremit et circumgemit nimis.

Quare maledixit canis ille mortuus domino suo Regi? Scelestissimus erat miles, et maledictus abiit in viam Semei.

Vadam, dixit universa gens, nefandum memorans crimen: vadam et delebo eum de terra viventium.

Mansuetudo autem David erat in Rege, et Virgo de radice Jesse descendit: fulgens Diva cum Jesu benedixit Regi mitissimo.

Ipsa est mater omnium, qui confidunt in Domino: terribilis vero sicut castrorum acies contra osores Dei et Regis.

## II.

Magna dies tibi, gloriosissima Virgo, splendescit: omnis quippe vivens te hodie Immaculatam profitetur.

Et Rex famulus tuus cum curribus et equitibus suis te veneraturus sistit, et procidit coram te.

Fidelis in medio exercitus tibi amoris pignus exsolvit; et pro dilecto populo suo tuum patrocinium imploraturus illacrymat.

Jam benedictus a te, coelesti perfusus dulcedine laetusque recedit: at quid ei et nobis triste contingit?

Perduellis iuvenis stat adversus eum! et suum insultat dominum servus infelix!

Sed quis, o Virgo, similis tui in fortibus? Quis brachio tuo resistet divinae innixo potentiae?

Stat a dextris Regis virtus Conceptionis tuae; et ideo mortis victor ascendit post te decorus.

Si sceleris immanitate turbati sumus, cogitamus te, o Benedicta, quae fletum in risum convertisti populo: populo, qui Regem suum, tanquam patrem honorat.

Salus amantissimi Regis gaudium est regni nostri: et galea eris, Immaculata, salutis Regi nostro.

Moerentium susceptrix es, o Maria; arcus foederis et reconciliationis, Deipara Sancta.

Eius confregisti manum, qui tetendit, et paravit arcum mortis: et sic diu fortis capita illidis iniquorum.

Arcum eorum contere, et scuta combure igni: arma omnium confringe, qui moliuntur iniusta.

In osculo pacis amplexata es Regem pium: eumque tuo in sinu purissimo abscondere ne desistas.

Benedicite Virgini, populi regni huius: nolite, partes adversae, sacrum tangere Regem.

Ubi est Rex noster, longanimis, et patiens nimis? Sub tegmine Virginis, quae Conceptionis festo aperto prodigio tutata est eum.

## III.

Regis nostri rutilat fides in gentibus: religio Dei est splendor gloriae throni eius.

Devotio ipsius refulget erga te, Virgo Deipara; et tu in medio familiae Regis gloriae pulchritudo.

Quia percuties tu omnes adversantes ei sine causa: mittes iram Filii tui, et devorabit eos sicut stipulam.

Iustitia Regis inclyto sedet solio; et misericordia Altissimi tui circumdabit eum.

Sedes et tu, o Maria, in corde Regis inclyti: tu, Angelo-

rum risus, laetificas eum, et in eo sibi subditum populum moderaris.

Eximia, qua te devotione prosequitur, ut clemens Rex et iustus collaudatur ab omnibus; et singulari excipitur amore, dum anxior patre Parthenopes cives revisit.

Tu solus in patriam proditor, miles, tu perduellis in Regem, sacrilegam es ausus admovere manum?

Non te facies Regis decora continuit, non dignitatis suae exterruit sacramentum: non almae Virginis festum et beneficia Regis a patrando facinore cohibuere!

Quare atrox ille temerario ausu super nostrum irruit Patrem? Insanus, quia nesciebat Deum, nec timuit Regem.

Audite, populi, et auribus percipe, terra: timens Deum, et mandata eius custodiens, Regem honorat, ac diligit usquequaque.

Quem tu, Virgo Dei Mater, erudis populum: obtemperans Dei voluntati, exultat in Rege suo.

Sanctam ostendisti Regi nostro protectionem tuam, ut per te sanctius posthac diligeremus eum.

Quoniam ipse acceptus erat Filio tuo, necesse fuit, ut tentatio probaret illum.

In hoc Rex cognovit, quoniam voluisti eum: benedixisti ei et regno eius in saecula.

Clamabit ad te, et velociter exaudies eum: cum ipso eris in tribulatione quovis tempore.

Non gaudebit super eum, neque super regnum eius inimicus: non gaudebit inimicus Filii tui.

Etenim tu Regem custodies nostrum, intuitu Conceptionis tuae: tu scutum fidei eris omnibus ad te viva voce clamantibus.

# IV.

Laudate, gentes, nostri generis Servatorem in Matre eius: laudate Reparatricem nostram, populi, in virtute Conceptionis eius.

Ecce victoria Regis nostri a Deo proficiscitur: tutamen optimi Principis Deipara sine labe concepta.

Tuere ab omni adversitate Regem, Virgo piissima: praetende ei arma coelestia, ubi terrena munimina desiderentur.

In dies singulos ad custodiendum eum festina: nunquam enim Matris amor retardare praesidia consuevit.

Data est tibi omnis potestas in Coelo et in terra: quod enim Filius imperio, tu prece, Mater, potes.

Experimini, gigantes terrae, si Virgini sit fortitudo; si protectio eius excelsior potentibus terrae.

Utero gestat eum, qui a veternoso hostis halitu servavit indemnem: brachiis suis illum regit, qui nutu temperat universi compagem.

Super agmina Sanctorum adest Regi gloriae potentissima; atque vel ictu oculi superbiae filios profligare potest.

Oculi eius, lucidiores Sole, iniquorum corda scrutantur, eorumque conatus, velut somniantium terriculamenta prosternit.

Caput eius, sicut Carmelus, tenebrarum spiritibus formidandum: movetur ipsum adversus tenebrosa malignantium molimina.

Pedes eius veloces ad bellicos ignes extinguendos: manus eius circumpositae ad firmandam pacem.

Frustra insidiabuntur calcaneo eius inimici: conteret enim caput eorum, qui seditiones machinantur et iurgia.

Mille clypei pendent ex ea, et omnis armatura fortium: ipsa superborum arcus quassabit, qui legem Dei, et Regis iura aspernantur.

# V.

Electa ut Sol, o Maria, universum orbem illuminas: pulchra, ut luna, culpae tenebris offusum irradias intellectum.

Surge ergo, lux Jacob, et nocturnam mentis dissolve caliginem: iam aurora est, et Conceptio tua resplendet populis.

Nunc, illuminans eos, confirma quod operata es in Rege nostro; quia in eo servando pignus amoris tui dedisti nobis.

Ipse lumine suffultus tuo a longe cognoscit adversarios nostros: ac in brachio extento Filii tui eos repulit a nobis.

Justi semita Regis tu, Immaculata Deipara: quasi lux splendescens ad meridiem usque procede super omnia orbis regna.

Sicut Sol in meridie emicas hoc super regnum auxilio tuo: et religio erga te Regis nostri sit caligantium lumen.

Tu lux, Domina nostra, lux filiorum lucis: tu dies, quae nescit occasum, tu sola sine offensione ambulasti.

Ex primo enim, quo mirifice Concepta es instanti, singulari Dei privilegio Immaculata fuisti.

Tibi Filius ab omni prorsus inquinamento immunem reddidit: et divina prorsus ac supernaturalis fuit tua ab omni labe redemptio.

Te ergo Virginem Dei Matrem in primo Conceptionis momento ab omni originaria culpa praeservatam confitemur.

Illumina tu a monte excelso Conceptionis tuae: et in sancto Verbi lumine ambulabunt gentes.

Ecce protoparentis tenebrae operiunt terram: et infelicis coecitate Hevae coecutiunt corda.

Quis in hac tenebrarum valle laqueos evadet peccatorum? Quis eos effugiet sine illius lumine, quae peperit lumen?

Tu sola, Virgo, protoplastorum ruinam resarsisti: tu siquidem sola Redemptorem omnium genuisti.

Non impingit in mortis laqueos, quem tua portat devotio; qui tuam prosequitur claritatem, culpam effugit et poenam.

Te sequens Matrem, non deviabit populus a veritate: te cogitans Rex, eripit populum de malis iunumeris.

Plaudite, gentes, plaudite psalmis: quoniam Couceptio Mariae Virginis est luce spleudidior.

## VI.

Omnes gentes, quascumque fecisti, Domine, venient et adorabunt coram te Filiam tuam.

Misericors et mirabilia faciens, Altissime Deus, Genitricem Verbi tui fortissimam voluisti.

Ipsa protervum hostem virginali pressit calcaueo: protervum, qui Regi insidiabatur praeclarissimo.

Magnus es tu, Fili Deiparae, exaltatus super omnes Deos: tu creator Matris tuae, et Filius Aucillae tuae.

Super sedem David noluisti inimicos Dominae suae: et super thronum Regis, filioli Matris tuae, semen ipsius regnabit.

Regna terrae, cantate Deo, psallite Mariae sapienter, absque labe conceptae.

Ex dilectione Deiparae sospes est vita Regis nostri: et ex eius incolumitate universum vivit et exultat regnum.

In eo diu multiplicabuntur opera Regis: et bonis eius laetabunda omnis gens plaudet.

Plaudet ei in bonis, quibus Dei Genitrix vitam Regis cumulabit: vitam, quam ab extremo periculo praeservavit.

Qui Virginis innititur protectioni, fortitudinem induit: ac tanta galea salutis accinctus iniquorum acies exsufflabit.

Qui amoris tui, o Beata Deipara, pennis extollitur, nec laborando fatiscit: sed et tecum ambulans omnigenae virtutis metam attingit.

En Rex ambulavit tecum, a te mire salvatus: et religio, iustitia, pax, omnisque virtus sibi et populo salus effecta est.

Ipse tutamen regni et immunitas plebis; solatium patriae, moerentium gaudium, et cura languentium.

Pro excubiis solio eius virtutes advigilant: et super diadema, quo caput praecingitur, devotio erga te praeclara renidet.

## VII.

Conceptio tua, o Virgo, pacem intulit universo: hodie sonitus pacis tuae audiatur in fines terrae.

Jubilate Mariae, omnes gentes; laudate Conceptionem eius, omnes populi.

Ipsa ianua est pacis, fractasque erigit vires: ipsa undique perditos restaurat mores.

Aetherea super solia regnat cum Rege exercituum Deo: et in multitudine gloriae suae prosternit in terris adversarios Dei et Regum.

Ideo Rex noster invenit eam in auxilio opportuno: et prava inimicorum desideria irrita evanuere.

Etenim omni armatura fortium praecinxit eum: et sicut Davidica turris adstitit Regi pio.

Turris est Conceptio Mariae cum propugnaculis aedificata: ter beatus Rex, qui virtutem eius meruit experiri.

Patres nostri in cordis iubilatione tantae Conceptionis dogmaticam definitionem desideraverunt: sed filii eorum in diebus istis acceperunt eam.

Quae anteactis praenuntiata fuerat saeculis votisque omnibus expetita; nunc Omnipotentis oraculo firmata est, et theologica fide credenda proponitur.

Eam Misericors Deus ab aeterno disposuit, ut infinitum Christi meritum extolleretur in Matre: et Matris dignitas in celsitudine Filii splendidius colluceret.

Te igitur, praeclarissima Virgo, in primo Conceptionis instanti Immaculatam agnoscimus: te, ut primogenitam gratia ac dilectione ante omnem creaturam, fide firmissima profitemur.

Tua Conceptio, qua natura innovata est, fons est laudum indeficiens: quo enim amplius tenditur, eo magis impletur, et quo magis impletur, eo amplius dilatatur.

Si angelorum linguis loqueremur, nemo nostrum dignitatem tuam laudare satis posset: et te laudare sufficeret nullus, etsi omnium membra corporum in linguas verterentur.

Laudibus tamen extollimus Conceptionem tuam, ut in te Deus exaltetur: iusta praeconia tibi tribuimus, quia in Conceptione tua nostrum Regem exaltasti.

Conceptionis tuae obfirmata veritas lumen est Regis: atque ex radiis eius etiam in subditis fulget devotio.

Sit ergo illi, invictissima Virgo, Conceptio tua usquequaque propitia: et solio regni eius patrocinium tuum perenne fiat.

Quoniam super regnum eius manus Domini confirmata est: Conceptio namque tua salus Regis et populi.

## VIII.

Consurgens aurora, Virgo, et matutina stella rutilans tua Conceptio Immaculata.

Totius sol iustitiae Christus est Filius tuus: per te ipse nostris mentibus affulgeat, tenebrasque discutiat.

Absque sole non est dies; et Conceptio tua, o Maria, sicut dies processit.

Sit ea nobis veluti salutis semita, ad coelestia ducens: quia sicut lux orta est a montibus aeternis.

Jubilate Mariae, omnes populi, in fide non ficta; diligite Conceptionem eius omne per aevum.

Lux eius, sole splendidior, illuxit Regi nostro: propterea in tempore adverso potentissima Virgo liberavit eum.

Salus Regis, in Virginis festo mire servata, est sacra recordatio nostra: fuit enim dies salutis totius regni huius.

Haec dies, quam fecit Dominus, a Maria ordinata est, et ex gloria eius: exultemus hodie ac semper laetemur in ea.

Annuo dies haec celebranda cultu maiori cum devotione recurret: in salute enim Regis gratiori animo Virginis fastus populus celebrabit.

Memorabunt populi instans primum, in quo te immaculate concipiendam aeterna Sapientia praecognovit: primum instans recordabuntur, a quo omnis tua gloria promanavit.

Per illud Immaculatae Conceptionis instans Dei Maternitatem de congruo meruisti, et pulchrior creaturis omnibus in conspectu Altissimi apparuisti.

Per illud virtutum omnium ac illibatissimae puritatis exemplar facta es; ut prae ceteris creaturis appareres sanctior, ac super omnes a Deo diligereris.

Tu sola post Christum per instans illud Reparatricis generis humani officio functa es: quia te solam inter puras creaturas ne levissima quidem culpae labecula contaminavit.

Te intemeratam in primo illo instanti, uti primogenitam aeternus Genitor deosculatus est: te, uti Matrem Filius, et uti Sponsam Spiritus Sanctus charitate ineffabili dilexerunt.

O felix corpus tuum sine contagione generatum: o felicior anima tua, quae gratia plena est illi corpori sociata.

Vere igitur tota pulchra es, et macula non est in te: vere ex hoc beatam te dicent omnes generationes.

Haec Virginis Conceptio est altissima origo auxilii nostri: haec porta Domini, iusti intrabunt in eam.

Beatissimae Virginis Couceptio sit iu adiutorium populorum: ipsa lumeu dat nobis et nostra praecouia Regi.

Tantae virtute Conceptionis in aeteruum Regis solium fulciatur; et copiosiori de die iu diem laetitia haereditarium semen ope Virginis efflorescat.

## IX.

Bravium felicitatis uostrae, Virgo Immaculata, iauua salutis et domus opuleuta.

Datum est nobis actiones tibi referre gratiarum; et pro incolumitate Regis inclyti est assidua deprecatio uostra.

Jugis haec deprecatio est acceptabilis coram te: et iu odorem ascendit suavitatis, usque ad sedem gloriae tuae.

Trauseat oratio haec de geueratioue iu generatiouem; et iu voce exultationis et laudis vivens omuis deprecetur.

Excelsior coelis, o Maria, incliua aurem Filii tui ad precem populi huius, quem possedisti.

Iu mauus tuas, Regina coelorum, nostrum commeudamus Regem; ut salutem eius per Jesum iugi tutela custodias.

Esto ei iu domum refugii, et iu regnum a te munitum: et usque in ipsius senium et ultra auxilium tuum nou recedat ab eo.

Dies super dies Regis adiiciat Deus, adiiciat Regis Familiae: et anni eorum sub praesidio tuo absque perturbatione decurraut.

Exaudi me, Domiua Regis mei, exaudi vocem fletus animae meae.

Scio unum, quo placaris, et alterum, quod non spernis: est utique tibi accepta populi obedientia, et sacra pro salute Regis deprecatio.

Supplex tibi gratias ago, quia salvasti Regem: quoniam vita eius salus populi huius.

Omnia tibi mea vota patescunt; et quae fuerint pro Regis incolumitate gratiarum actiones notum est tibi.

Noctu et interdiu steti coram te, orans et gratias agens pro Rege meo: quia melior est deprecatio istaec auro et argento electo.

Exoro, ut ipsi dilectio tua sit requies in labore: et memoria mirabilium tuorum in regimine consolatio.

Hauriat suum de tua ubertate gaudia pectus; et suus in te amor perpetuo conquiescat.

Regnet felix super corda nostra, o cordium Imperatrix: sub umbra mysterii Conceptionis tuae protege eum.

Expande alas tuas super eum extentas, et super Familiam eius: porta Filium et filios eius in humeris protectionis tuae.

Sicut aquila, provoca et nos ad volandum, quasi pullos tuos post te: et super nos volitans, pertrahe omnes ad amorem tuum.

Vota nostra in medio reposuimus cordis tui sacratissimi: audi preces nostras, quae diu clamant pro salute Regis.

## X.

Coelorum splendor, terrarum gloria, Virgo Maria: ecce gloriosior factus per te Rex noster.

Tribulationem eius nuper convertisti in gaudium: benedicta super filias Sion Regem salvasti super omnes mitem.

Ite, milites, tantique memores beneficii templum evehite Virgini gloriosae: sit illic in signum victoriae, ubi cecidit inimicus.

Sit in gloriae signum nationibus, ut discant posteri, non esse consilium contra Regem, qui tutelae Virginis innititur.

Sit gratiarum locus terra illa, quam perduellionis crimen temeravit; sit illuc Virgini sacra domus, ubi strenua chiliarchi manu corruit perduellis.

Perpetuo illuc Ara adoleat thure Virgini Immaculatae: sitque ibi sacra gloria exercitus, qui victorem mortis supremum Regni ducem consalutavit.

Quanto, o Maria, altior es et sanctior; tanto clementior erga regnum hoc, et dulcior in dies evadis.

Quia Rex ejus per te servatur incolumis: et insigni erga te allectus amore clementiae actus mira temperat aequitate.

Etenim iustitia virtus est, quae populis gubernandis invigilat: sed clementia consociata iustitiae Regem reddit illustriorem.

Utraque virtus ope tua in Rege nostro renidet; et ideo regni huius est tuta conditio.

Tuta est, quia tu virtutibus Regem informans, singularem erga eum in subditorum animis concilias dilectionem.

Omnibus enim longe praestat, non tam a lege optima, quam ab optimo Principe gubernari.

Vita optimi Principis viva lex est, quam fideles subditi reverentur; suisque actibus adlaborando imitantur.

Vani hinc stultique sunt omnes, qui mutandis legibus evertendoque regimini seditiose conspirant: pravos vero in se mores reformare nesciunt, Deumque universorum Regem in Principe revereri recusant.

Impii sunt homines, qui Dei iram seditionibus ac infidelitate lacessunt: atque ideo stulta effutiunt, Virgo prudentissima, quia ipsis non subest Filii tui sapientia.

Beati qui audiunt te, sapientiae tuae verba custodiunt:

beati qui observant ad postes ostii tui, sequentes Regem, te mirifice honorant.

Tu sedes Sapientiae altissimi Patris, omniumque magistra doctorum: tu filia Dei, et Mater Domini tui.

Ipsa tecum Sapientia ambulavit super sidera: atque de Coelo elapsa, docuit per te filios hominum.

Ideo et Reges per te super terram regnant; et legum conditores iusta decernunt.

Dilectus hinc tibi Rex noster est: sonat vox sapientiae tuae in auribus eius, et est sapiens.

## XI.

Arca pacis, Virgo, omnium diceris, et cunctorum in te sperantium cumulata laetitia.

Quoniam tutamen es nostrum ab infensis populorum hostibus: depellis dira sycophantarum deliramenta.

Semel ac invocatur super nos nomen sanctum tuum; nostri generis inimicus contremiscens fugit a nobis.

Superbum illius olim contrivisti caput: et nunc satellitum suorum cervicem obtundis.

Est ergo tuum, Virgo triumphans, tutari Regem et a nostris arcere finibus hostes.

Iamdiu, ingruente soeculi hujus tempestate, invocavimus te: et pia teterrimum rebellionis spiritum disperdidisti.

Flavit spiritus Dei, et operuit perduelles confusione: extendit manum de excelso, et solium Regis fulcivit dextera sua.

Virga oris Altissimi percussit callidos, allisitque versutos; contrivit vafros in terra alienigenarum.

Gladio virtutis eius interfecit impios: ac spiritu labiorum eius bella abstulit usque ad finem terrae.

Pugna et tu, o Maria, ne veteratorum amplius nos mala perturbent: extingue omnem seditionis favillam, ut prorsus perduellionis truculenta monstra evanescant.

Ecce pax magna nobiscum est, quia pacificum dilexisti Regem: benedic in pace haereditati eius, subditosque custodi in obedientia pacis.

Non dimittemus te, Virgo excelsa, donec benedixeris nobis in salute Regis nostri.

Sedisti a dexteris eius in die tribulationis, circumdata varietate: et propter hoc dilatatum est cor nostrum, et lingua nostra laudibus exultat.

Supposuisti ei virgam virtutis tuae: et quamdiu in te sperat Rex, sub pennis est potentiae Filii tui.

Scuto circumdabit eum veritas Conceptionis tuae: quia sperans in ea, nunquam erit confusus.

Igitur consurge, induere fortitudine tua, Rex bone, et vestimentis gloriae tuae: quoniam Virgo Immaculata iucunde praecinxit te virtute sua.

Cum iis etiam, qui pacem oderunt, fuisti pacificus: et pacem tibi dedit Altissimus, ac pax tua erit super filios tuos usque in saecula.

Perambulasti in innocentia cordis tui, in medio populi tui: nec proposuisti ante oculos tuos rem iniustam.

Non adhaesit tibi cor pravum et superbum: declinantes a te malignos non cognovisti.

Regnum tuum, Domine, regnum omnium pacis fructuum: quia dominatio tua in omni iustitia, sapientia, et bonitate.

Beatum dixerunt Regem, cui haec sunt: beatus ergo Rex meus, cuius sceptrum virtus.

Te ergo Ducem, te Patrem, te Regem sequemur, cui a Rege regum collatum est sceptrum: ac laeti obtemperantes tibi, Dei mandata custodiemus.

# XII.

O Maria, Creatoris Mater, mundi Domina, coelorumque Regina.

En sacra Regis familia, quae peculiari te devotione prosequitur; et tua munita praesidio laetabunda te honorat.

Quam bene Principi erit sub tantae Virginis patrocinio. De materno illius sinu Regem nostrum detrahere quis audebit?

Regi iustitiam iubenti, qui superbe resistit, Dei reluctatur voluntati; atque ideo Deiparae Virgini obtemperare recusat.

Non erit hinc erga Virginem sincera devotio, nisi cum ipsius dilectione sincerus erga Regem amor consocietur.

Renuit enim Maria habere suos, qui nec Filii sunt: at non sunt Dei, qui renuunt esse Regis.

Laetare, Virgo potens, pax, gaudium et nostra salus: vi amoris tui salvasti Regem, et in eo universum Regnum tuo praesidio commendatum.

Iuste, recte ac pie regnantis pacificus cursus, te opitulante, regatur: et tu, Virgo, subditorum custodia, dulcis ac fortis tuere eum.

Propter iustitiam et mansuetudinem et religionem, quibus exornatur Rex noster, adiuvabis eum piissima, et in te fideles subditi tota die exultabunt.

Suscipe, Virgo, servorum tuorum preces supplicationesque, quibus ad te clamant quotidie: suscipe sacrificia laudis pro famuli tui Regisque nostri salute.

Quae tribulatio, quae angustia, quae iniquorum machinatio patrocinio Matris Dei et nostrae innixum Regem superare poterit?

Tu omnium misereris, Deipara, populorum: ac misereberis totius regni huius, iugiter custodiens ac laetificans Regem suum.

Ad te ergo, tanquam ad misericordiarum Matrem, toto corde confugimus, ut misericordiam cumulatam consequamur; et munimen Rex noster inveniat in tempore opportuno.

Tu salvum fac Regem, o Maria, et Filium Regis; custodi piam Reginam nostram, et universam Regis familiam.

Firma thronum regni eius usque in sempiternum: largire pacem in virtute Conceptionis tuae, et incolumitatem Regi in protectione tua.

Tu Filia, tu Genitrix, tu Sponsa Dei, meritis precibusque tuis indignationem Altissimi a nobis averte.

Per te resipiscant impii, veniamque inveniant peccatores: per te in omni bono obfirmentur iusti, et fideles subditi exultent in Rege suo.

Per te Dei unitas agnoscatur ab omnibus, ac sacrosancta Trinitas ubique gentium collaudetur: per te, omni in posterum submoto periculo, vivat felicissimus Rex noster, et cum eo sospes usquequaque inclyta familia Regis.

*Omnes enixe oro fideles, qui haec sint lecturi, ut sequentem diu recitent iaculatoriam adeo perbrevem:*

Sub tuum praesidium confugimus, Sancta Dei Genitrix, sine labe originali concepta.